

DISPUTATIO MEDICA
DE
MELANCHOLIA,

Quam
D. O. M. A.

PRAESIDE

Clarissimo & excellentissimo viro,

DN. IOANNE WOLFIO,
Philosophiæ & Medicinæ Doctore, ac
Professore publico,

Publicè examinandam proponit

HENNINGVS VNVERZAGT,
Laffurdensis.

Nonis Nouembriis.



HELMÆSTADT,
Typographo IACOBO LVCIO,

cIo Io cXIV.

FINIS



Amplissimo, consultissimoq; viro,
DN. HENRICO *Warneken* / Ill. mi
Principis **FRID-HVLDERICI**, Ducis Brun-
suicensis & Lunæburgensis ArchiCamerario,
& Consiliario præcipuo, hæreditario in
Grünigen / dn. & euergetæ suo
plurimum honorando:

NEC NON

Præstantissimo & humanissimo viro,
DN. HERMANNO *Beuenrodt* /
arcis Ierxheimiæ præfecto dignissimo, pa-
trono & fautori colendo,

Disputationem hanc gratitudinis
& obseruantia ergo inscribit &
dicat

RESPONDENS.



VIXIT



DE MELANCHOLIA.

THESIS I.

Erebrum non minus iustam temperiem substantia, spirituum, & membranarum, quam debitum apparatus instrumentorum secundum magnitudinem, numerum, conformationem, consensum & situm, atque unitatem ad actiones suas edendas requirit, atque adeo pro naturali illorum esse, hasce naturales & bonas, pro praternaturali, praternaturales & vitiosas edit.

2. Actiones autem illae duplices sunt: aliae immanentes, aliae transeuntes. Immanentes sunt, quae in ipso operante manent, & sunt ipsius operantis perfectio, vocanturque à Galeno ἑγγυ τῆς ψυχῆς καὶ ἐαυτῷ, cuiusmodi sunt principes illae, quae in imaginatione, memoria, & ratione siue intellectu, secundum medicos, consistunt. Transeuntes, quae in exteriorem rem transeunt, & sunt perfectio facti, quod per ipsas constituitur: veluti distributio spirituum animalium per nervos in reliquas partes motus & sensus causa.

3. Circa illas itidem, quemadmodum in his functionibus accidere solet, multis modis sunt lesiones, in quarum numero non infima conditionis est illa intemperies, qua ut Caelius Rhodiginus lib. 17. lect. antiq. c. 1. loquitur, homines saepe ita à rationali abeunt sensu, consternanturque prorsum, ut mira quaedam ac stupenda illis contingere animadvertamus: siue qua iidem, ut 3. cap. habet, à communi sensu sequestrati, adeo dementiunt, adeoque obbrutescunt, ut nullatenus vice hominum sint, mentis illo vigore divino interextincto.

4. Statuit quidem Plinius lib. 7. cap. 50. etiam morbum aliquem esse per sapientiam mori; quod sanè per nos ille ita sibi habeat

plissimo, consultissimo, etc.
HENRICO Barnhe
RID-HVLDERICI, Dni
Lunxburgensis Archica
uario praecipuo, hacten
ingen' dn. & euergetza
plurimum honorando.

NEC NON

antissimo & humanissimo

ERMANNO Bau

chicimix praefecto dignissim
ono & fautori colendo,

Disputationem hanc quae
& obseruantia eriguntur
dicat

RESPI



recto intellectum modo. Verum, si quis exinde ex illius quoque, i. e. sapientia agritudine, vitam aliquam hominis constituere, aut in nihil sapiendo, secundum prouerb. iucundissimam vitam, cum τὸ μὴ Φεγεῖν αὐτὸδύου κατὸν sit, reponere velit, is nihil aliud agat, quam si hominem exuat sua humanitate, diuinamque quam habet secundum Aristotelem 4. de part. animal. c. 10. substantia, & ratione, qua ut proprium hominis bonum est, ita illa antecedit animalia, Deos sequitur, Sen. epist. 76. Atque hoc asseuerantem dignum merito iudicemus, qui stranguletur: quales eo nomine fuisse pronunciat Ephesios Heraclitus, quod eiecto singularis modestia ac frugalitatis viro Hermodoro nobile illud promulgarent decretum: Nemo apud nos frugi sit, nemo vnus excellat, vel si excelluerit, abeat.

5. Non igitur prater rem admirabiles atque omnino inopinabiles, cum Cælio citato loco, affirmamus illos effectus, qui proueniunt ab homine παρὸν ἰσχύος καὶ τῆς Φεγεῖν, cuius ratio atque intellectus agrotat, & ad impotentiam precipitatur, ut desipere cogatur, quod tum fieri dicimus, quando ad eum modum facultas est sui ipsius potestate exit, atque extra quadrum, ut dici solet, promouetur, ut res, qua non sunt, ac si essent, vel multo, quam sese habent, aliter, imò absurde & peruersè diiudicet. Id quod vel separatim sola cogitatione, aut sermone, aut opere, vel simul horum omnium fieri solet. Quam mentis, ut Suetonius vocat, valetudinem, desipientiam, delirium, aut dementiam nuncupamus; Græci τῆς Φεγεῖν.

6. Mirari alias subit naturas hominum varias, in quibus effringendis valde lusit natura parens: etiamsi enim nihil non, quod Ioue deis reddere possit illos, affatim contulerit, nihilominus tamen videre licet, semper illam etiam optimis & prestantissimis ingenijs adpersisse aliquid dementiæ & stultitiæ, ita ut in omni uniuersitate generis humani neminem reperire liceat, qui non in aliqua re desipiat, ob id merito reponendus sæcunda in gente Meneni: adeo hac populos, hac magnos formula reges tenet. Quamquam multi id valde dissimulare velint, tanto stultiores, quanto id faciant studiosius.

sus. Sed hic morbus qui pro laborantium natura valde varius est, μανία ἢ οὐ πᾶσιν ὁμοία, magis patefcet illi, qui vniuersas quorumlibet hominum cuiuscunq; ordinis & atatis actiones considerauerit, quarum ineptias propterea ridere maluit Democritus, quoties à limine mouerat vnum

Protuleratq; pedem,

quàm deslere miseras Heraclitus, maiore sanè humanitate, vt Seneca iudicat lib. de tranq. an. Ideoq; quia hisce etiam morbis medicinam non est facile, neq; nostrum dicere, ad nostra nos referimus.

7. *Desipientia itaq; quocunq; fiat modo, necessum est, vt sit vel cum febre coniuncta, & tum, si continuata perennet, & febris vigore non mitigata producat, Φεβίτις dicitur, quam missam in presentia faciemus. Vel est sine febre & vocatur μανία: μανίε δὲ siquidem, vt ait Gal. lib. i. prorrh. comm. i. i. e. insanire omnes homines dicunt eos, qui desipiunt citra febre; quemadmodum Φεβίτιζεν, qui cum febre id patiuntur. Etiam si enim μανία tanquam peculiaris quadam species brutum illum & ferinum citra febre furorem apud Medicos propriè significet, nihilominus tamen & ab Hippocrate & alijs autoribus generaliter accepta ad alios etiam deliramentis errores exprimendos extenditur, quemadmodum Celsus quoq; lib. 3. cap. 18. vocabulum insanie, prout plura delirij genera complectitur, usurpat. Sic μανίαν 6. aph. 21. Hippoc. vocat, explicante Galeno, illam insaniam, que propriè melancholia dicitur, non illum, qui fit ex bile, furorem.*

8. *Nos hac quoq; relicta specie de ea saltem desipientia agemus, qua correpti, vt Hipp. lib. de sacro morbo scribit, διὰ μὲν εὐφροσύνης καὶ ἀνὸς ἐμφάνει, πολλὰ τε ἀμα καὶ ἀκαίως faciunt, & melancholia ab humore, qui ipsius causa est, sic dicto, indigetatur, attestante Gal. 2. meth. med. cap. 2. Non verò quod, vt Caelius Aurelianus voluit, ater humor in hoc affectu euomat.*

9. *Vocamus igitur eos melancholicos, qui aliena à ratione cogitant, loquuntur & efficiunt, prout morbus radices egerit, cum ti-*

more & mœstitia sine manifesta causa. Ex his duobus enim tanquam proprijs indubitatissimis signis & characteribus melancholiam colligit Hipp. 6. aphor. 23. si merus cum tristitia perseuerent longo tempore, melancholicum hoc est. Et Aretæus furentibus quidem animum ἐς ὄργην & excandescentiam: melancholicis autem ἐς λύπην καὶ θυμὸν ἀδύνατον ad tristitiam & animi angorem conuerti dicit lib. de diut. morb. 1. cap. 5.

10. *Subiectum.* Est igitur melancholia symptoma facultatis principis, cuius actiones deprauantur; ac proinde subiectum illius cerebrum esse benè intelligit is, qui anime intelligentiam siue ratiocinationem cerebri actionem esse propriam cognouerit. Hac enim parte sapiamus & intelligimus, eademque ipsa parte & insanimus & deliramus, Hipp. lib. de morb. fac. Veruntamen cum cerebrum duplici modo considerari possit, vel ut pars similis, vel ut pars organica, non ita in confesso iam est, qua ratione illud in hoc morbo afficiatur, in diuersa hic euntibus sententijs.

11. Plerique statuunt cerebrum affici tanquam partem similem, temperamento videlicet illius vitiatum. Primum, quod sensim fiat hic affectus, secundum quem modum saltem producuntur ij morbi, qui ad intemperiem partium sequuntur: neque enim subito sed pedetentim statu & commensu suo ad excessus exerunt temperamenta, ideoque neque fieri potest, ut subitanea illorum morborum tam sit generatio quam discussio, quemadmodum argumentatur Galenus lib. 2. de caus. sympt. c. 7.

12. Secundo, quod teste Hipp. in fine lib. 6. epid. melancholici ut plurimum fiant epileptici, & contra, prout in hanc vel illam partem morbus inclinat. Vbi bilem ad corpus conuerti ait, explicante Galeno lib. 3. de loc. aff. c. 7. cum cerebro veluti parti instrumentali nocet; quod in obstructionibus fieri constat: Ad mentem verò repere, cum temperamentum immutando, ei, ut similari, nocet. In quam sententiam & plura alia in Galeno occurrunt, præcipuè quod lib. 8. de vsu part. c. 13. melius esse dicit existimare, intel-

intellectum sequi non compositionis varietatem, sed corporis, quod cogitat atq; intelligit, bonam temperiem, neq; bonitatem ac perfectionem intellectus multitudini spiritus animalis potius videri attribuentiam, quam qualitati.

13. Contra quidam & nominatim Erastus, cerebrum non dicto solum modo, sed prout singulari illa & admirabili fabrica conformatum & spiritibus instructum est, in hoc morbo affectum esse demonstrare conatur, idq; plurib⁹ argumētis, inter quae praecipua sunt. Primò, quod ratiocinatio non sit purè similis actio, ideoq; neq; illius offensa siue lesio, utpote quas eiusdem speciei esse oporteat, quare à similari substantia primo edi non posse, quia non qualibet cerebri particula ratiocinationem inchoet & perficiat, quae similium partium omnium sit proprietas communis & inseparabilis.

14. Secundo, quod haec prima actiones non saltem sensim labefactentur, verumetiam subito, priusquam vlla omnino intemperies cerebri substantia tanta aspergi possit, quae has actiones manifestè ac sensibiliter ledat, quemadmodum illas non rarò videmus sola conformatione lesa, temperamento nondum labefactato, intercipi & vitari, non saltem in collisionibus cerebri, eiusdemq; ventriculorum compressionibus, sed etiam in alijs & quidem leuioribus pravis dispositionibus, quae cerebro propter spiritus malè affectos obtingunt, veluti in simplici delirio, quando ex incompositis propter insomnia inquieta conturbationibus, aut repentina consternatione, aut ebrietate &c. imaginatio & mens decepta aberrat, vide Erastum in thes. de melancholia: Parte quarta disputat. contra Paracel. in Anatome contra Comitem Mont.

15. Ab hac sententia non abluat Argenterius, qui comment. 2. in artem medicin. Gal. fatetur quidem in his, ut etiam in alijs actionibus requiri certam temperiem cerebri, & calidum nativum benè affectum, sed quod ab illis sumitur nec totum esse, nec praecipuum, verum, quod maximum sit in hac re, sumi ex structura ipsius cerebri, quatenus ipsum organica pars est. Temperiem enim ut
commu-

communis est in omnibus alijs partibus, sic communium actionum, nempe attractionis, retentionis, concoctionis & expulsionis esse causam. Propriam autem structuram causam esse, ut alia partes instrumentaria nequeant prestare, quod cerebrum efficit; ideoque licet non eadem prorsus sit temperies cerebri & aliarum partium, quapropter diversa fortassis esse possint actiones; nihilominus tamen, cum ea, quae est in ipsa temperie differentia non faciat differre cerebrum, ab alijs membris in attractione, retentione, concoctione & expulsionem, nullam apparere causam, cur in alijs differentiam aliquam faciat.

16. Nos priorem sententiam, si recte explicetur, tanquam principis & sententiae Galeni consentaneam praeter alia amplectimur. Non negamus autem, si uniuersas, quae a cerebro dependent, operationes spectare velis, ad eas perficiendas opus fuisse tali, quae illi adest structura. Verum internas & principes actiones primario & potissimum elicere dicimus cerebri substantiam, & illius propriam temperiem. Ex propria enim, ut habet Galenus lib. 6. de decret. Hippoc. & Plat. c. 8. specie substantiae, propriam esse etiam functionem oportet. A qua eadem proprietate cerebrum, spiritum quoque, animale tanquam immediatum illarum functionum organum producit, qui proprietatem suam, temperiem & formam ex ipsiusmet cerebri alteratione & coctione acquirit.

17. Proinde in cerebri substantia indiscriminatim sunt actiones principes ope temperamenti & spirituum, per illius corpus diffeminatorum, qui tanquam portitores sunt & vehicula specierum sensibilium. Ideoque non conficit rem, imò hanc nostram sententiam confirmat Erasius eo argumento, quo substantiam cerebri laedi, vulnerari, eius partem eximi absque lesione operationum principum, recte quidem asserit; at male exinde concludit, illam ea propter non esse causam istarum operationum, cum haec in reliquis partibus, quae laesa non sunt, nihilominus exerceri & perfici queant, quemadmodum id in similaribus omnibus contingit. Et destruit
idem

idem hac ratione, quam propugnare debebat, structuram cerebri, qua malè eo modo adornata nihilo tamen minus actiones perfectæ edantur.

18. Quod autem ratiocinatio in hoc affectu deprauetur & per-
uertatur, manifestum satis est, etiamsi non necessum sit, in omnibus Forma.
rebus, qua intellectui obijciuntur, hanc esse aberrationem, cum suf-
ficiat in una aliqua re, siue cū μία φαντασίῃ, ut loquitur Aretæus,
illam accidere, constante in reliquis mente & iudicio, qualis, si tri-
stitiam excipias, ille Argivus fuit, cuius meminit Horatius lib. 2.
epist. 2. Qui cum cætera alioquin sanus esset, & vitæ servaret munia
recto more, se tamen credidit miros audire tragædos. Atq; hac iu-
cunditate perfusus satius esse existimavit insanire & delirum esse,
quàm sapere & ringi, quapropter cognatorum tandem opibus &
cura, cum restitutus esset, de vi illata & iniuria conquestus est,

Pol me occidistis amici

Non servastis, ait, cui sic extorta voluptas,
Et demptus per vim mentis gratissimus error.

19. Quapropter frustra hic est Argenterius, qui comment.
in lib. 2. aphor. 2. depravatam quidem imaginatricis actionem di-
cit desipientiam, ait tamen melancholiam tristem potius imagina-
tionem vult nuncupari. Non enim aliud videri esse melancholiam,
quàm tristem actionem imaginatricis: probè enim melancholicos
ratiocinari, sed semper tristitia imaginari. Quibus planè evertit
formam ille huius affectus, quæ in illa simul peruersitate intellectus
consistit, & à qua originem quoq; ducit illa tristitia. Quod si enim
rem, uti esset in sua natura, cognoscerent melancholici, neq; errore
phantasia aliena atq; à ratione abhorrentia sibi imaginarentur &
persuaderent, minus vel neutiquam tristibus illis cogitationibus di-
repti vexarentur.

20. Etsi autem ratiocinatio semper in hoc morbo vitietur, ni-
hilominus tamen id non fit per se, sed per accidens. Cum enim in-
telligentem phantasmata speculari oporteat, illa autem à phantasia
B produ-

producantur, & ad intellectum transmittantur, fieri necessum est, ut, si hac propter imaginationem laesam sint absurda, neq; legitimo modo se habeant, ratiocinatio quoq; rectè fieri nequeat, in illis quidem rebus, quarum species propter intempericem cerebri, & spiritus eiusdem inquinatos minusq; puros, aut alioquin perturbatos, corruptè vel tumultuosè agitata, non rectè exhibentur intellectui. Quapropter inquit Gal. lib. 2. de fympt. caus. c. 7. Melancholica deliria esse ex corruptis imaginationibus, multasq; illorum species, prout illa speciatim corrumpuntur.

21. Ex quibus primùm apparet, non diuersum quid accidere melancholicis ab illis, qui in somnijs detinentur, in quibus sæpè valde extranea, falsa, incomposita & minus coherencia dormientibus obijciuntur, qualia sunt: volare nos, saltu longo repente librari, & nos & alios videre mutatos in varias formas, & modò aues factos, modò equos &c. Fracast. in Turr. lib. 2. Vnde scitè dictum est, talia esse delirantium phantasmata, qualia sunt dormientium somnia, & quod dormientes in somnijs prestare videntur, id melancholicos vigilantes facere: vel quod spiritus inordinatè moueantur atq; exagitentur, vel quod alienis vaporibus cerebri dispositionem vitiantibus, permixti contaminentur. Quæ res facit, ut & species ipsa, quæ in spiritibus sunt, simul & tumultuariè agantur.

22. Secundo. Hinc etiam quodammodo percipi posse videtur, quare tam varia & discrepantes deceptiones & errores circa phantasiam contingant, ut etiam apertè falsa imaginentur melancholici: videlicet esse se testam, gallum gallinaceum factos, plumbeum, imò nullum habere caput, cornua, nasum in longitudinem proboscidis elephanti exprorectum, ex vitro constatos clunes: rotum gestare orbem in digito, ranas & bufones in intestinis alere, esse mortuos, & sexcenta eiusmodi, quæ numero comprehendere nefas est. Quorum omnium tres assignat causas Fracast. lib. de intell. 2. Vna est, obliquus discursus: alia est corporis dispositio: tertia est occasio aliqua ita imaginandi. Vocat autem occasionem, e. g. sibilare au-

ves, pondus aliquod percipere, & uniuersaliter apparentias sensuum, qua recipiuntur uti vera, quas sigillatim scire est impossibile.

23. Gal. lib. 3. de loc. aff. cap. 7. *Causam facit huius morbi* *Causa.*
melancholicum succum aut melancholicum sanguinem, in quo siccitas atq; frigiditas dominantur, qui si in ipso cerebri corpore abundauerit, eam insania speciem, quam Græci vocant μελαγχολία, faciat. Vnde dispositio & temperies cerebri permutatur, & labes præternaturalis spiritibus aspergitur, ut tenebricosi à vaporibus melancholicis reddantur.

24. Cum enim actiones principes in cerebri substantia mediantibus spiritibus edantur, & his debeatur puritas, tenuitas & luciditas, manifestum est ex harum priuatione illas deprauari: & sicut, ubi spiritus sunt tenues, puri & lucidi, facultas animalis cum iucunditate & letitia agit; ita si crassi, impuri & opaci reddantur, eadem ad tristitiam abit.

25. Causarum autem mediatarum alia sunt efficientes, & intemperiem humorum & spirituum inducunt, ut frigida & sicca totius corporis, aut cerebri, aut præcipuorum quorundam viscerum constitutio, tempus autumnale, aërisq; status inæqualis, interdum calidus siccus, interdum frigidus siccus, vigilia, cura, sollicitudines, timor & tristitia, labores nimij, &c.

26. Alia materiam suppeditant, ut alimenta crassi succi, terrena substantia, sicca qualitatis, caro animalium seniorum non castratorum, ceruina, caprina, bubula, leporina, carnes aut pisces fumo indurati aut sale conditi, legumina, brassica, caseus vetus, panis furfuraceus, &c.

27. Alia materiam generatam in corpore detinent, ut suppressio consuetæ euacuationis per uterum, hamorrhoides, lienis venarumq; obstructio.

28. Ex his in genere suppositis colligitur talis definitio: *Definitio.*
Melancholia est dispositio præternaturalis cerebri & spirituum animalium, cum delirio sine febre, cum metu & tristitia abs-

que manifesta causa, ex humore, vel vapore frigido & sicco.
29. Cum autem vapor ille melancholicus à diuersis focus dependeat, proq̄, ijs etiam melancholia in tres species diuidatur, in primariam videlicet, in eam, qua consensu totius fit, & in hypochondriacam siue flatulentam: neq̄, minus data definitio de dictis speciebus secundum prius & posterius dicatur, requiritur, vt, quomodo hæc se habeant, breuibus consideremus.

Prima species.

30. Primariam eam dicimus, qua solum cerebrum humoris vel vaporis melancholici habet subiectum, siue in illo ab ipsius intemperie, vel alijs de causis, vt sollicitudine nimia, terrore graui, visione horrenda, imaginatione vehementi, vigilijs &c. generata sit materia melancholica: siue aliunde deriuata & attracta ratione doloris & caloris, aut relictæ post inflammationem cerebri.

Secunda species.

31. Ex consensu totius oritur, quando sanguis vniuersus in venis melancholicus effectus totius corporis habitum occupauit, sumitq̄, initium à partibus naturalibus sanguificationi inseruientibus, occasionem atate, anni tempore, temperatura, vita genere & victu, siue quæcunq̄, vim aliquam in istiusmodi sanguinis generatione obtinent, præbentibus, præsertim si iecur intemperatum: & lien imbecillior humorem melancholicum ad se allicere & trahere, vel attractum & pro re nata concoctum & subactum expurgare nequeat.

3. Species.

32. Hypochondriaca deniq̄, focum siue sedem habet in partibus ferè quibuscunq̄, imi ventris, vnde vapor fumosus & fuliginosus excitatus exhalatione quadam transmittitur ad cerebrum, haud secus ac in quibusdam oris ventriculi affectionibus, effertur fuliginosus quidam halitus aut crassus vapor, qui similia, vt in suffusione accidentia, producit. Verùm quia hæc species propria quadam ratione definitur & circumscribitur, neq̄, nisi inueteratum sit malum, melancholica, eaq̄, interpolata, quod vapores illi à sanguine crasso, adusto & feculento eleuati rursus discutiantur, accidentia parit, ad aliam considerationem reijcietur.

33. Porro

33. Porro signa huius mali quedam sunt communia, quedam
cuius speciei propria. Communia sunt; metus, qui nunquam illos de-
serit, ob naturam humoris peculiarem & impuritatem ac tenebri-
cositatem spirituum. Tristitia ex metu oborta, quam nunquam non
praeseferunt, quaeque illos inducit, ut odio prosequantur omnes, quot-
quot viderint, vitaeque tadium desperantes concipiant. Sunt autem
omnes, ut Gale. ait lib. 2. de sympt. caus. sine causa maestis, nec si
roges, quamobrem maereant, reddere causam possunt.

34. Propter timiditatem eos suspicio quoque male habet, quapro-
pter insidias sibi tendi semper imaginantur. Item error circa fa-
cienda & non facienda, ut, si non habito loci temporis aut persona-
rum respectu clament, querelas subinde ingeminant, discincti in-
cedant &c. Vigiliae pertinaces. Aristot. sect. 4. probl. 31. melan-
cholicos libidinosos esse pronunciat propter flatuum copiam, qui in
istio morbo, imprimis autem hypochondriaco malo redundant caloris
debilitate, unde flatus excitati Veneris stimulum commouent per
illam excernendi; quanquam, ut Iulius Guastauinius comment.
in eum loc. notat, impetum potius siue incitamentum, quam facul-
tatem iis omnibus adesse reuera existimari possit, calore natiuo, sine
quo omnia languent, debilitato.

35. Signa melancholiae per essentiam ex ipsius cerebri capitisque propria
constitutione innotescunt. In principio quieti sunt, tristes, abiectioni,
torpentesque absque ratione, male animati, in progressu nunquam in-
terquiescit malum, sed continuo affligit, somni, si adsunt, breues
atque interrupti sunt, somnia autem turbulenta, ex quibus tumultu-
ose excitantur, aurium tinnitus, vertigines, cogitationes inten-
tae, oculorum intuitus toruus & immotus. Vigiliae ferè perpetuae;
neque enim dormire queunt propter siccitatem humoris, a quo cere-
brum exiccatum est, & propter continuam speciei praesentiam &
imaginationem, in quam semper intenti sunt.

36. Signa vero morbi per consensum manifesta erunt illi, qui
uniuersi corporis habitum, qualis sit, considerare velit, ut si macri
sint,

sunt, & nigri & hirsuti & latas habeant venas, in quibus apris-
sime hic humor cumulari potest. Item omnes ἐξέφυδον τὴν χροῖαν, cuius-
modi sunt, qui rubras in facie pustulas à sanguine adusto habent;
atque post hos omnes ξανθοὶ sive flavi, quando & vigilijs & multis labori-
bus & sollicitudine fuerint educati. Et reliqua, quae apud Galen.
lib. 3. de loc. aff. cap. 7. Inprimis autem unà cum vigilijs & reli-
quis plerisque accidentibus, quae in prima specie modo recensuimus,
alvus illis arida & sicca est, nihil deiciens, & licet multum saepe
sibi capiant, nihilominus tamen extenuati sunt, quoniam somnus
in eis, neque potu, neque cibo membra confirmat, sed vigilia omnia ad
exterius mouent atque dissipant.

37. Causarum etiam signa in omnibus sunt obseruanda: Primò
si simpliciter ab humore melancholico sit, desipientia sine obliuione
erit cum diffidentia maiori & cogitationibus assiduis. Si unà san-
guis abundauerit cum risu interdum & quibusdam incundioribus
imaginationibus: si bilis, cum maiori iracundia: si pituita, cum pi-
gritia, obliuione & stupore. Si materia malignitatem quandam ac-
quisuerit, egri interdum beluinos mores induunt.

38. Non mirum autem est tam varia obuenire accidentia mel-
ancholicis, tum quod diuersa humoris illius cum reliquis miscella
fiat, tum quod diuersa sint subiecta, in quibus maximè contrarias
dispositiones producit, morumque dissimilitudine quadam illa afficit
informatque atra bilis, ut vinum, cuius varij effectus sunt pro va-
rietate subiectorum, & prout plus minusue corpori ingeritur. Vi-
demus enim quosdam ridere, quosdam flere, alios resolui, & cum si-
lento tristari, alios autem gloriosè se ostentare, quosdam perpetuo
garrere, quosdam ne verbum quidem proloqui, quosdam ad aman-
dum etiam relaxari, eosque osculari, quibus nemo sobrius vel aliàs sa-
nus dare osculum velit, &c. Sed de his vide Arist. sect. 30. probl.
1. & sect. 3. problem. 16.

Prognosis. 39. Quod ad prognosin attinet, difficilis curatu melancholia
est, tum natura sua, tum ratione morum egroti, quem saepissimè ad
medi-

medicamenta sumenda vix vi adigere possumus, & cum remedijs aliquandiu fuerit usus, eaq; profecisse parum videat, omnem spem salutis abicit & remedia respuit. Est autem quoad formam ea melancholia, qua rationis siue mentis sedem primario vitiauit, reliquis deterior ratione dignitatis & essentia parvis affecta: qua per consensum totius & qua per essentiam, peior est illa, qua ex hypochondrijs oritur; inueterata incurabilis ferè est; ideoq; oportet secundum Aëtium incipienti morbo mederi, cum inueteratum & auctum manus medentis respuat: Tandem omnium pessima hereditaria est.

40. Sumuntur etiam prognostica à causa efficiente siue materia: penes hanc attenditur quantitas, qualitas & motus. Ratione quantitatis illa, qua fouetur à maiori copia deterior est illa, qua à minori: Ratione qualitatis, illa, qua fit à materia frigidiori & sicciore: Ratione motus, illa melancholia, qua fit cum motu humorum ad cerebrum peior est illa, qua cum motu ad inferiora. Vnde si melancholicis hemorrhoides, varices, vitiligines, eruperint bonum, 6. Aphorif. 11. & 21.

41. Hisce ita propositis sequitur, ut, quomodo curatio, in qua Curatio. peculiare studium, diligentia & solertia artificis requiritur, perficienda sit, breuib; saltem & quasi ἐν τόπῳ proponamus. Illa quia absoluitur per tria instrumenta, dietam, pharmaciam & chirurgiam, initium faciemus à dieta & victus ratione, qua omnibus melancholicis communis est.

42. Aër sit clarus, lucidus, calidus, humidus moderatè, odores ^{Dietam.} gratos & suaves spirans, arte vel natura talis; cibus sit probi succi, non multi excrementi, facilis digestionis, flatuum expers, moderatè calidus, ad humidum declinans, ut sunt carnes pullorum, gallinaceorum, caponum, perdicum, auicularum, agnorum, hadorum, ouarecentia, pisces saxatiles, panis ex pura farina triticea probe coctus & fermentatus; expedit etiam usus iusculorum cum buglossa, borragine, corticibus citri, maiorana alteratorum, item pomorum odoratorum in cibo, &c.

43. Potus

43. Potus ijs, qui assueuerunt poterit esse vinum album, tenue; cereuisia benè cocta, defœcata, media ætatis, preparata interdum corticibus citri, buglossa, borragine, absynthio, enula, scolopen &c.

44. Exercitia moderata cibos præcedant imprimis manè in locis amenis, propè flumina limpida, susurrantia; deambulando vel equitando, depositis prius excrementis alui spontè vel arte irritatis. Fiat autem exercitium non ad lassitudinem, sed ut corpus floridum illo reddatur: beneficiũ alui quotidie ut adsit, accuratè procuretur.

45. Somnus maxime prouocandus, quia diuissimis vigilis exercentur melancholici, atq; adprimè opus habent suauis humectatione, qua corpus somnus, si quid aliud, imbuit. Animus ad latitiam, & tranquillitatem omnibus modis est componendus. Tristitia & mœror consolando, admonendo, persuadendo, mitigandi, omnesq; affectus animi, qui hunc affectum fouent, in contrarias partes deducendi. Venus moderata, quia secundum Aërium impeditam rationis vim explicat, atra bile affectis, magna quadam medela existit.

Venasectio. 46. Chirurgiam quod attinet monet Galen. ubi solum cerebrum affectum sit, sanguinis detractione non opus esse, nisi alia quapiam causa contrà suadeat: Atq; tum id μετὰ βγλῆς est faciendum, ne spiritus dissipentur aut imminuantur, vel sanguis utilior & purior, crassiore intus relicto, euacuetur. Vbi verò uniuersum corpus sanguinem melancholicum continet, à vena sectione curatio nem incipere oportet, quod ille iubet non solum, ut exploremus affectum, sed quia primariam remediij rationem illam obtinere statuit, contrà quam sentit Capiuac. lib. I. c. II. de cap. aff.

Pharmacia. 47. Post humorem melancholicum in corpore vel capite redundantem, premisis clysteribus, qua crassiora excrementa educant, & à capite reuellant, debitis medicamentis preparari atq; educi necessum est, idq; diu multumq; propter pertinaciam affectus, continuandum, donec successinè morbi materia tollatur. Quibus peractis curatio ad alterantia & roborantia dirigenda est. qua ex illis parari debent, qua temperata humiditate humorem emolliant & eliquent, ac proprietate malignitatem illius emendent. spiritusq; instaurent atq; robovent. Quo in opere & cordis rationem habere debere monet Auicenna, utpote cuius temperamentum non mediocriter in hisce casibus affligatur. Verùm de hisce atq; alijs, qua hic non inutiliter dici debebant, plura scribere angustia charta prohibet.

F I N I S.